Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Et quia quadrupedum prohibet sua regula carnes
Nec sunt hijs vesti pro grauitate sui
Quod volat aut currit cupiunt carnem bipedalem
Non quia sit melior sed quia rara magis
Cum tamen illud agunt testis vicina fumi
Non erit aut facti conscia facta sui
Carnibus assumptis vestigia nulla videbis
Ne clamer herr herr ossa sepulta iacent
Tres etiam tunicas de iure duasque cucullas
Omnes accipiunt et scapulare breue
Tedia de nocte femoralia nulla iacenti
In lecto facient sit procul iste timor
Nescio bracarum genitalia membra deorsum
Nocte dieque simul libera semper erunt
Ergo quid facerem veniens si ventus ab austro
Nudaret subito posteriora mea
Quod si contingat mea nuda pudenda videret
Nunquam de reliquo monachus albus ero
Dispensare tamen mecum poterunt et oportet
Ne pila quam porto sit manifesta foro
Membra pudenda magis est texisse necesse
Atque minus dignus maius habendus honor
Est in fratre suo sua vel texisse pudenda
Vel detexisse qui tegit ille sapit
Tu tibi quod non vis fieri ne feceris vlli
Quod cupis ut faciat quis tibi fac et ei
Frater ab effectu non solo nomine dici
Frater habet sine re nomen inane tenet